IX.

Städtisches
Evangelisches Gymnasium
zu
Jauer.

Ostern 1874.

Inhalt:
1. Commentarium in Theocriti carmen XI. scripsit Th. Borsdorf.
2. Schulnachrichten. Vom Director Dr. R. Volkmann.

Jauer, 1874.
Druck der Opitz'schen Buchdruckerei (H. Vaillant).

735

Commentarius in Theocriti carmen undecimum.

Quisquis Homeri unquam legit iucundissimam de Polyphemo narrationem, summa opinor voluptat contemplatus est pastorem unoculum et semiferum, cuius immanis saevitas Ulixis fallitur dolo atqu sollertia. Neque dubitaverim quin is qui novit Cyclopum Homericum velit ubi licet cognoscere Cyclopem Euripideum, qui primas agit partes in lepidissimo illo dramate satyrico. Ac sicut nos gaudemus ridicula monstri deformitate, ita iam veteres imprimis Graecos pastor Aetnaeus incredibilite delectavit. Quid igitur mirum si cum artifices multarum picturarum ac poëtae carminum variorur hunc opilionem fabulis celebratum dicuntur expressisse, tum pater poëseos pastoriciae qui Syracusa pro patria habebat Theocritus pastorem quasi indigenam non neglexit?

Ac duobus quidem idylliis Cyclopem tractavit eumque, quod mireris, aetate tenera amor Galateae Nereïdos incensum ita adumbravit, ut is altero idyllio (XI) puellam frustra expetens, alter (VI) ultro amantem iam fastidiose spernens induceretur. Quorum carminum etsi non constat utrur prius sit scriptum, neque id scire magnopere nostra interesset, tamen legere ea eodem quo collocavi ordine satius erit.

Quare sive quis Theocritum nunc primum adit et mecum carmen XI vult perlustrare, siv quis iam intravit in eius familiaritatem, propono hunc commentarium, sed velim consulat de text deque rebus quas omitto editiones Fritzschianas imprimis maiorem annis 1864—1868 impressam au saltem minorem commentario instructam germanico anni 1869.

Ac suadet quidem poëta hoc idyllio Niciae cuidam amico quasi epistula, quam nos artis vocabulo nominamus poëticam*), commercium Musarum, quippe quod unum sit amoris remedium, comprobatque exemplo Polyphemi.

Atque de Nicia si quaeris quae tradita sint quaeque possint inde colligi, habes quae sufficiar apud Fritzschium (ed. ma. I p. 345), quibus si placet adde quae infra[1]) exponam. Nos iam spectemus accuratius qualis sit hoc carmine persona Cyclopis. Est, ut supra significavi, adulescentulu perdite amans Nereïdem dulcissimam. Quae cum eum repudiet, sollicitudine amoris torquetur miser Tandem invenit medicinam vulneris quod pectori inflixit Venus. Considit enim in scopulo litoris, und auditum se iri confidit a Galatea, et securus de grege amorem suum canit et carmine et fistul

*) Scholiastae appellant idyllium διηγηματικόν.

Commentarius in Theocriti carmen undecimum.

Quisquis Homeri unquam legit iucundissimam de Polyphemo narrationem, summa opinor voluptat contemplatus est pastorem unoculum et semiferum, cuius immanis saevitas Ulixis fallitur dolo atqu sollertia. Neque dubitaverim quin is qui novit Cyclopum Homericum velit ubi licet cognoscere Cy clopem Euripideum, qui primas agit partes in lepidissimo illo dramate satyrico. Ac sicut nos gau demus ridicula monstri deformitate, ita iam veteres imprimis Graecos pastor Aetnaeus incredibilite delectavit. Quid igitur mirum si cum artifices multarum picturarum ac poëtae carminum variorui hunc opilionem fabulis celebratum dicuntur expressisse, tum pater poëseos pastoriciae qui Syracusa pro patria habebat Theocritus pastorem quasi indigenam non neglexit?

Ac duobus quidem idylliis Cyclopem tractavit eumque, quod mireris, aetate tenera amor Galateae Nereïdos incensum ita adumbravit, ut is altero idyllio (XI) puellam frustra expetens, alter (VI) ultro amantem iam fastidiose spernens induceretur. Quorum carminum etsi non constat utrui prius sit scriptum, neque id scire magnopere nostra interesset, tamen legere ea eodem quo collo cavi ordine satius erit.

Quare sive quis Theocritum nunc primum adit et mecum carmen XI vult perlustrare, siv quis iam intravit in eius familiaritatem, propono hunc commentarium, sed velim consulat de text deque rebus quas omitto editiones Fritzschianas imprimis maiorem annis 1864—1868 impressam au saltem minorem commentario instructam germanico anni 1869.

Ac suadet quidem poëta hoc idyllio Niciae cuidam amico quasi epistula, quam nos artis voca bulo nominamus poëticam*), commercium Musarum, quippe quod unum sit amoris remedium, compro batque exemplo Polyphemi.

Atque de Nicia si quaeris quae tradita sint quaeque possint inde colligi, habes quae sufficiai apud Fritzschium (ed. ma. I p. 345), quibus si placet adde quae infra[1]) exponam. Nos iam specte mus accuratius qualis sit hoc carmine persona Cyclopis. Est, ut supra significavi, adulescentulu perdite amans Nereïdem dulcissimam. Quae cum eum repudiet, sollicitudine amoris torquetur miser Tandem invenit medicinam vulneris quod pectori inflixit Venus. Considit enim in scopulo litoris, und auditum se iri confidit a Galatea, et securus de grege amorem suum canit et carmine et fistul

*) Scholiastae appellant idyllium διηγηματικόν.

cuius est maxime peritus. Sane furore abreptus stulta decernit et extrema minatur, sed, si poëtam intellexi, non facturus est*). Ubi vero vehementissime incitatus est, ad sanam mentem se revocat. Decernit enim et gregem curare et alias puellas quaerere.

Hactenus poëta. Quid? si Cyclopem aut spernunt puellae terrestres aut denuo abripit improbus Galateae amor? Tum opinor in eisdem Musis solacium quaeret. Quare putaverim eum a poëta fingi *cottidie* canentem, ut paulatim corrigens dementiam ac vim amoris debilitans in dies magis fiat sanus. Quorum quidem carminum videtur mihi exemplum communicari cum amico.

Atque illum toto idyllio perstringi venustissima festivitate mihi quidem persuasum est. Quamquam nec ubique sentiri potest, nec equidem huic coniecturae multum tribuo ad percipiendam carminis vim poëticam. Cuius sensus allegorici vestigia apparent vss. 11. 72. 80, ubi non dubium est quin in Nicia eludantur neglegentia officiorum et amoris dementia[2]). Neque negaverim Niciam, qui postea cum Theugenide uxore felicissime vixit, admodum iuvenem vel adulescentulum puellam pulcherrimam vel summo loco natam vel alia re Galateae similem non redamatum amavisse. Verum haec missa facio. Neque qui ante et post Theocritum Cyclopis persona aliquo modo[3]) usi sint, quoniam praestantiorum poëtarum iam supra mentio facta est, hoc loco enumerandi videntur[4]).

Nunc illud quaerendum est, qua arte poëta materiam perquam bellam tractaverit. Quare ubi legeris quae Fritzschius ed. mai. I p. 341 narrat de argumento, videbimus quae partes cantilenae, quam intexuit poëta epistulae, sint constituendae. Ac mihi quidem videtur divisa esse in partes sex, quarum intercapedines Cyclopem, ut supra admonui, fistulae cantu explentem fingi putaverim**). Partes autem existimo esse has:

I. Vss. 19—29. Declaratur fastidium Galateae (19—24) et summus Polyphemi amor (25—29).

II. Vss. 30—41. Describitur oris deformitas (30—33), superata et divitiis (34—37) et arte atque voluntate officiosa Polyphemi (38—41).

III. Vss. 42—53. Invitat Cyclops Galateam ad ipsum ut veniat, potest enim multas praebere delicias (42—49) atque iniucunda tollere (50—53).

IV. Vss. 54—62. Queritur quod mare ipsi sit clausum (54—59) ac sperat difficultatem adeundi posse superari (60—62).

V. Vss. 63—71. Denuo invitat (63—66) ac queritur de matris inertia (67—69), quam minis vult frangere (70—71)***).

VI. Vss. 72—79. Labores vult rursus suscipere (72—74) atque aliam puellam quaerere (75—79).

Sed de his partibus potest ambigi, neque nescio quosdam aliter iudicare. Ac si quaeris quae intercedant inter partes singulas rationes habebis has:

11 . 12 . 12 . 9 . 9 . 7
6 . 5 . 4 . 4 . 4 . 3 . 4 . 1 . 4 . 6 . 3 . 4 . 5 . 3 . 4

At sunt qui sibi visi sint in Polyphemi carmine detexisse strophas. An contra libros poëtae obtrudi possunt strophae versibus multis aut transpositis aut eiectis? Quasi vero necesse sit quaecunque cantantur astringi stropharum vinculis. Quamquam Fritzschius existimat (I p. 342) strophas

*) Quo potissimum videtur mihi differre a Cyclope et Homerico et Euripideo, monstro illo crudelissimo.

**) Quare si unquam Cyclops Theocriteus in scaenam productus sit, non dubitaverim quin illae intercapedines fistulae cantu expletae sint. Tu ubi idyllium recitas, his locis aliquantulum subsiste!

***) Hactenus amoris furor mentem occaecavit, nunc Cyclops ad mentem sanam revertitur.

Polyphemi dedita opera conditas esse incultiores, cui quidem coniecturae non possum assentiri. Etenim stropharum vel inaequalium usus animi quandam mihi videtur desiderare tranquillitatem, ut in idylliis Theocriti amoebaeis, aut furoris quasi constantiam, ut in pharmaceutria (id. II) usque ad versum 142, ubi Simaetha vehementius commota mox stropharum vincula rumpit. Et Cyclops perturbatur satis vehementer. Quare negaverim huic strophas esse aptas, sed admiror poëtae subtilitatem, qua singulas carminis partes videtur pertractasse ne aut nimis excrescerent aut essent admodum pusillae.

Neque vero minore elegantia variavit opinor dialectum, quippe quae non eadem sit per idyllium totum (v. Fritzschium I p. 342). Praefatio enim (vs. 1—18) et epilogus (vs. 80. 81), cum verba sint Theocriti ipsius ad amicum scripta, praeter Dorismos lenissimos et usitatissimos nihil habent admodum rustici. Polyphemi autem carmine cum ubique fere poëta exprimat sermonem agrestiorem, Dorismos admisit duriores. Sed haec hactenus[5]). Nunc videamus singula.

Atque inscriptum quidem est idyllium in libris praestantioribus *Κύκλωψ* pariter atque Philoxeni et Timothei dithyrambi Euripidisque fabula satyrica inscripta sunt. Equidem mallem *Πολύφαμον*, sed iam Homerus Polyphemum appellat Cyclopem[6]).

Jam vss. 1—6 nexus sententiarum est hic:

Musae, inquit poëta, unum sunt remedium amoris idemque lene ac suave neque tamen facile ad reperiendum. Tibi vero medico nota sunt morborum remedia, amori mederi nescis. At favent tibi Musae, quae mederi illi possunt.

Remediorum autem quae sanent morbos neque amorem duo (vs. 2) commemorat genera: *ἔγχριστα*, i. e. unguenta quibus vulnera illinuntur, et *ἐπίπαστα*, i. e. pulveres qui vulneribus insperguntur, veluti aurum limando comminutum sanguinis effusionem putabatur cohibere[7]).

Quae duo remediorum genera cum imprimis adhibita sint ad curanda vulnera, non sine ioco quodam asseverat poëta amoris vulnus (cf. vs. 15 *ἕλκος*) his non posse sanari[8]).

Vs. 2 *οὔτ' — οὐδ'* non debet offendere in poëta[9]).

Vs. 3. Remedium dicitur *κοῦφον ob facilem usum minime dolores commoventem* (germanice schmerzlos), sicut simili sensu XVII, 52 *μέριμναι* dicuntur *κοῦφαι* i. e. non admodum ad ferendum difficiles[10]). Ita ut statuam eo magis moveor, quod mea interpretatione probata in *κοῦφον — ἁδὺ* habemus gradationem quandam, ut dicat poëta *adhiberi id remedium non modo sine dolore sed cum voluptate.*

Vs. 4 *γίνετ'*. De significatione confer vs. 58 *γίνεται* sensu proprio usurpatum de floribus qui proveniunt (radix *γεν*). Neque tamen *γίνεσθαι* (vs. 4) propter *ἐπ' ἀνθρώποις* eodem modo verti potest quo vs. 58, cum priore loco duae extent enuntiationes in unam contractae, altera: *κοῦφον δέ τι τοῦτο καὶ ἁδὺ γίνεται*, altera: *γίνεται δ' ἐπ' ἀνθρώποις*. Quare germanice fortasse ita interpretandum est: Es ist dies eins der schmerzlosen und süßen Mittel die Menschen zu Gebote stehen[11]). Vs. autem 58 ita verto: Freilich das eine gibt es nur im Sommer, das andere im Winter.

Vs. 4. *Εὑρεῖν δ' οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν*, veluti Aeschines Theocriteus (XIV, 52) amoris medicinam ignorat, Simus vero (ibidem) militatum profectus rediit sanus.

Vs. 6. *Δὴ* particulae vis confirmandi[12]) sic potest exprimi: *favent tibi novem Musae omnes.* Quare existimo Niciam fuisse eruditissimum omnibusque in artibus liberalibus versatum. Atque ut hic Niciam appellat poëta

ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλημένον [13]) ἔξοχα Μοίσαις, sic similiter I, 141 Daphnidem cantorem insignem τὸν Μοίσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ.

Vss. 7—19. Remedii, inquit poëta, efficacitas comprobatur exemplo Cyclopis, qui adulescentulus perdite amans Galateam omnia posthabuit puellamque canens ex vulnere Veneris contabuit; sed ipse cantus fuit remedium.

Vs. 7 ὁ παρ' ἁμὶν i. e. in Sicilia, ubi Cyclopes et Laestrygones Homeri habitasse vulgo putabantur. Praeterea et in isthmo Corinthio una cum Neptuno, Palaemone, reliquis deis marinis colebantur Cyclopes, et Athenis tumulus quidam ascribebatur Geraesto Cyclopi (v. Prelleri mythol. graeca ed. I. I p. 388 sqq.)

Vs. 8. Ὅχ' ἤρατο τᾶς Γαλατείας. His verbis Cyclops describitur adulescens, ut accuratius vs. sequenti.

Vs. 9 γενειάσδων non Dorismus est sed Aeolismus proprius Aeolibus Asianis [14]). Quare poëta hic uti videtur elegantia quadam, apta coloribus praefationis cultioribus.

Vs. 9 cum Cyclops describatur adulescentulus misere amans, narratio fit lepidissima, cui lepori egregie inservit, quod

vs. 10 [15]) recensentur munera quae Theocriti temporibus amatores puellis amatis offerre vel mittere solebant. Iam his

vs. 11 opponitur insanus amor Polyphemi. Atque furoris quidem exempla in ipsa cantilena reperies nonnulla, veluti cupit branchia, nandi artem vult discere, caput ac crura est verberaturus. Itemque versu sequenti

vs. 12 exemplum affertur neglegentiae. Qui versus cum 65 (ποιμαίνειν) et 74 (ἄρνεσσι) collatus docet Polyphemum hic induci opilionem, cum apud Homerum et opilionis et caprarii munere fungatur, apud Euripidem praeterea bubulci.

Αὐταὶ comprehendit quod accuratius dici potuit vocibus *μόναι* et *αὐτόμαται* [16]). Utrumque enim pastoris est neglegentis cum domum oves non reducere tum eius rei ne meminisse quidem. Nam si oves *sua sponte* rediisse dicuntur, pastori earum non in mentem venisse iudicabimus.

Vs. 14. Αὐτῶ [17]) — κατετάκετο i. e. *liquebatur* (Ov. met. 3, 490) quemadmodum nix solis, cera ignis calore, quae quidem imago omnium gentium poëtis videtur esse usitata *de amatore sollicitudine amoris marcescente.*

Φυκιοέσσης [18]). In litore plano post aestuum recessum limites maris conspicis algis obtectos, quare iam Homero θὶς fuit φυκιόεις.

In proximis notabilis est *pressa dicendi copia.* Etenim

vs. 15 Cyclops canit Galateam suam ἐξ ἀοῦς i. e. *a primo mane.* Vs. autem 40 canit *multa nocte.* Apparet igitur insaniae quasi constantia quaedam.

At non congruit cum remedii laudibus quod Polyphemus hic *canens tabescit* [19]). Quasi vero omnia remedia medeantur continuo. Proinde tu, si Polyphemus non illico curatur, cave iudices medicinam esse pravam. Namque *saepenumero* atque *assidue* adhibendum est ut pleraque sic hoc medicamentum, cum in dies fiat efficacius. Quare, etsi in cantilena Cyclops fingitur *canens canendoque sanitatem mentis recuperans,* tamen, ut supra admonui, non penitus *sanus* est existimandus. Nam recidit in vecordiam posteroque die rursus cantu lenire studet morbum. Ergo poëta consulto non dixit illum factum esse *sanum,* sed ῥᾴϊστα διᾶγ' (vs. 7), ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα (v. 80).

Deinde voce ἕλκος adulescentulus noster pingitur Veneris telis vulneratus, quemadmodum in carmine Theocriteo nuper invento (Fritzschii ed. mai. XXX) poëta ipse amore pueri captus (vs. 11: εἰς οἶκον δ᾽ ἀπέβαν ἕλκος ἔχων).

Tum ὑποκάρδιον suaviter adumbrat amoris *ardorem*.

Denique μεγάλη appellari videtur Venus quod animos coërcet mortalium *omnium*.

In qua quidem rerum quasi abundantia, verborum parsimonia nihil tibi habebit offensionis quod ἥπατι dativus cum πηγνύναι coniunctus pro *locativo* est, ut Od. λ, 129 γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμόν.[20])

Jam si εὗρε (vs. 17) cum iis comparaveris quae modo disputavi, interpretandum tibi videbitur: remedium inven*erat*, quippe qui canere consuesset (ἄειδε vs. 18). Quapropter hic respicitur ad vs. 13, ubi cantare eum solitum esse narratum erat. Sin autem εὗρε hic esset inven*it* (sc. quod nondum tenebat), in sequenti versu imperfecto ἄειδε locus esset nullus.

Ut supra voce φυκιοέσσης sic hoc loco verbis ἐπὶ πέτρας καθεζόμενος poëta expressisse videtur veritatem, nam in ea Siciliae parte quae propius est solis ortum multi sunt scopuli.

In re gravissima et tanquam cardine idyllii noli quaeso mirari quod iterum admoneam ἄειδε τοιαῦτα vertendum esse: talia *consuerat* canere. Namque Theocritus proponere videtur amico ad imitandum exemplum c a r m i n u m c o t t i d i a n o r u m aut saltem c r e b r o r u m.

Nunc in ipsa fistulatoris cantilena primum

vss. 19—29 agitur de fastidio Galateae et sincero Cyclopis amore. Atque vss. quidem 19—24 inducitur ille canens haec:

R e i c i s m e, p u e l l a p u l c h e r r i m a (19—21) o m n i q u e m o d o m e f u g i s (22—24).

In versu autem 19 vereor ne te offendat quod Galatea appellatur λευκά, praesertim cum statim (v. 20) dicatur λευκοτέρα πακτᾶς, quod ieiunum et exile potest videri. Sed loquitur Cyclops, i. e. pastor adulescens et agrestis, videturque epitheton λευκὰ Galateae fuisse traditum.[21]) Neque porro color candidus minuere putabatur pulchritudinem aut in *virginibus* aut in *pueris*, putabatur in *viris*.*)

Ac ne in vs. 20 cuiquam nostrum obscurus sim πακτὰν germanice interpretans Quark, verbo commemoro πακτὰν attice esse τροφαλίδα, i. e., caseum album qui remanet in fiscellis (ἐν ταρσοῖς, ταλάροις) ubi e lacte concreto defluxerunt humores sive serum (ὀρός). Atque ut hic commentarius meus, sic apud poëtam hic totus locus olet coagulum. Etenim

vss. 20 et 21 opilio noster Nereïdem comparat cum rebus usu pastoricio sibi tritis ac familiaribus, unde mirum quantum oritur gratiae lepidissimae[22]).

Jam in canora horum versuum concinnitate vix senties duram verbi εἶ[23]) praetermissionem. Et est Polyphemus satis commotus ac gravitate quadam puellam implorat. Quare vs. 21 molli brachio obiurgare illam neque acerbe vituperare putandus erit.[24]) Atque

ἁπαλωτέρα ἀρνὸς indicat Galateam monstro fore nostro *molliorem tangenti* quam agnam gregis ob pellis mollitiem carissimam.

Age si assensus es mihi de Nicia et Galatea supra quaedam conicienti, hic

vs. 21 a me sta colligente puellam fingi *haud adultam*, cum comparetur cum *vitula* (μόσχω γαυροτέρα)[25]). Quid autem improbet subtilius pastor nescit significare quam ita ut ex usu suo promat exemplum vitulae fugientis gregis socias ludere cupientes.

*) Confer usum vocis σκιατραφημένος.

Hic non possum non commemorare quam scite poëta fecerit Cyclopem suum obiurgantem simul cum *suavitate* quadam et cum *instantia* utens pleonasmo ὄμφακος ὠμᾶς simillimo ei qui inest in Euripideo ναῦς ποντία.

Jam vss. 22—24 exempla profert fastidii: omni enim modo fugit illa Thoosae filium.

Atque concinnitas quidem

vss. 22 et 23 maior etiam est ea quam admirati sumus vss. 20 et 21. Nam exceptis vocibus εὐθὺς ἰοῖσ' et δ' αὖθ' οὕτως et vocabula φοιτῇς atque οἴχῃ et quae sequuntur hemistichia respondent sibi tota[26]).

Ἔχειν autem et ἀνιέναι dicta de somno pingunt eum nebulae vel catenarum*) instar in obdormiscentes sese effundentem et expergiscentes relinquentem (v. Ameis. ad Hom. ν 79).

Verum cur adit puella ad dormientem, sed expergiscentem relinquit? Poëta tacet. Delectatur fortasse illa intuens horridum monstrum dormiens tuta a molestis eius blanditiis, nisi in somnis videt puellam adeuntem et expergiscens fugientem Cyclops ne inter dormiendum quidem tranquillus animo.

Quam fugam sive veram voluit poëta sive fictam,

vs. 24 accuratius describit. Ac

canum quidem appellari lupum apparet propter colorem pellis *similem colori maris*, quapropter a poëtis vocatur πολιός (πόντος πολιός, πολιὴ θάλασσα).

Atque ut hic colligam quas ob causas speret Polyphemus se exoraturum esse puellam fastidientem, enumerat vss. 25—41 has duas: *primum* quod Veneris furore abreptus cum primum puellam viderit flagraverit amore (25—27) neque ab eo usque tempore puellam ipsum spernentem amare unquam desierit (28. 29); *tum* quod vitia (30—33) compenset virtutibus, utpote qui cum possideat multa pecora (34) neque ullo anni tempore inopia prematur (35—37), tum fistulator sit peritissimus (38) artemque suam dicet puellae (39), tum servet puellae faventi quaedam dona (40. 41).

Sed, ut eo revocetur unde huc declinavit enarratio, Cyclops vss. 25—29:

Primo, inquit, aspectu summo in te sum inflammatus amore neque nunc tui possum oblivisci. At tu id nihil curas.

Atque in vs. quidem 25 pronuntiando incidendum videtur mihi levius post ἔγωγα, gravius post κόρα. Habemus enim hic caesurae quae vocatur *bucolicae*[27]) exemplum certissimum.

Nec minus aurium iudicio utaris velim

in versu 26, ubi non sine pondere quodam ἐμᾷ ante praepositionem collocatum est. At quid hac traiectione poëta efficit? Nonne videtur tibi infelix noster Cyclops commonefacere fastidiosam illam puellam dieculae praeterlapsae qua illa una cum Thoosa, cuius miser filius nunc frustra ipsam implorat, eundem non spreverit comitem?

Verum, si quaeras cur decerpserit illa ὑακίνθινα φύλλα, conferas velim X, 29, ubi virgines hyacinthos colligunt ad nectendas corollas, et XVIII, 2, ubi eas quaerunt nuptialia celebraturae.

Ac, quoniam hic *narrat* miserrimus adulescentulus temporis praeteriti memoriam, color sermonis est prope *epicus*, ne dicam Homericus. An negas eiusmodi esse hoc hemistichium

vs. 27 ἐγὼ δ' ὁδὸν ἀγεμόνευον[28])? Aliis enim hac in re vocibus utitur poëta *bucolicus*, veluti VII, 131 εἷρφ' ὁδόν.

Jam vocem tollit Cyclops, quod indicat imprimis

---

*) ut fit probabile ex Homerico illo ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν (B 71) cum nostro loco collato.

παύσασθαι (vs. 28) summa cum gravitate in principio versus collocatum, plane ut in vs. 24 carminis aeolici nuper detecti.

Indicat praeterea verborum quasi coacervatio. Potuit enim breviter commemorare *nunquam se puellae esse oblitum.* Sed dilatare maluit. Quare sententiam triplicavit hoc pacto: *quiescere,* inquit, *et cum te vidi et postea et ad hunc usque diem inde ab illo tempore non possum.* [29])

Ac notabilis est *inconcinnitas* verborum, quam vix exprimere poteris alia lingua. Nam non modo negatio tertii membri (*οὐδὲ τί πᾳ νῦν*) etiam ad antecedentia est supplenda, sed etiam praesens *δύναμαι* duriuscule coniungitur cum *ἐςιδών τυ* et *καὶ ὕστερον,* ubi expectas *οὐκ ἐδυνάθην.* Nec minus quam negatio voculae *τί πᾳ* [30]) ad priora membra referendae sunt*).

His igitur expositis num poteris negare egregia arte poëtam efficere ut asseverantem audiamus operose et quasi luctante lingua?

Ac, ne vim clausulae debilites celerius pronuntiando, admoneo in vs. 29 post *οὐ μέλει* esse incidendum, qua pronuntiandi ratione non prohibetur quominus ad alterum *οὐ* iterum *μέλει* cogitatione suppleatur.

Sed, ne hic molestus sim, ut Cyclops noster Galateae, nunc videamus proxima (vss. 30—41).

Ac, si quis idyllium recitat, post vs. 29 paululum respiret [31]), ut auditores Polyphemum sibi fingant meditantem vel fistula canentem. Nam nunc intellegit Cyclops se respui ob deformitatem, quam compensari dicit cum divitiis tum arte (vs. 39. 40) voluntateque (40. 41) insigni.

Ac versibus quidem 30—33

Intellego, inquit, cur me despicias: displicent enim et supercilium horridum et oculus unus et nasus latus.

Videntur autem ante oculos obversatae fuisse Theocrito *picturae* quaedam, tum temporis fortasse non infrequentes in Sicilia (vide quae admonui nota [3])). Nam dubitari non potest quin dithyrambis Philoxeni et Timothei persona Polyphemi pervulgata sit omnibusque fuerit suavis. Ex Homero autem et Hesiodo nihil potuit depromi nisi descriptio *oculi unius.* Verum perlustremus iam singula.

Ac primum quidem notabilis videtur *emphasis* qua

vs. 31 voce *ὥνεκα* ad praegressum *τίνος ὥνεκα* [32]) respicitur.

Deinde dubitationem poterit movere *λασία ὀφρύς* [33]), quod optime vertitur buschige Augenbraue, ut perspicies si alios locos comparaveris [34]) ubi idem adiectivum de quercu et de silva usurpatum est.

Jam vs. 31 *ἐπὶ παντὶ μετώπῳ — τέταται* pingit supercilium cordae instar ab una parte frontis ad alteram pertinens (*τέταται* [35])) et valli vel montis instar in fronte cubans (*ἐπὶ* cum dativo coniunctum).

Tum vs. 32 *μία* indicat supercilium extentum esse uno tractu ab aure ad aurem nullo intervallo interposito. Neque enim Polyphemus est *σύνοφρυς***), cum duae supercilii partes non possint discerni.

Jam *μακρά* uno verbo repetit quod modo vocibus *ἐξ ὠτὸς ποτὶ θὤτερον ὦς* expressum est, ut loci sententia ultimo versus vocabulo quodammodo comprehendatur.

Denique aliquid dicendum videtur de

*) *Nullo pacto et cum te vidi et postea et nunc* cet.

**) quod pulchrum habebatur in virginibus.

vs. 33 voce ἔπεστι. Neque enim inepte poteris supplere ἐπὶ τῇ ὀφρύϊ, cum artifices antiqui [36]) expresserint Polyphemum tribus oculis, ut *super* illud quod hic commemoratur supercilium*) pingeretur rubro colore oculus unus, *sub* eoque adderentur duo oculi. Ac quod hic Polyphemo tribuitur immane supercilium negaverim a quoquam pictorum aut statuariorum esse expressum, sed consulto id a poëta adumbrari existimaverim ut imago omnibus nota per iocum detraheretur in deformitatem insigniorem [37]). Ac, ne plura consecter,

πλατεῖα δὲ ῥὶς ἐπὶ χείλει ita intellegendum videtur ut fingamus labrum naso tangi, unde exoritur aspectus perquam foedus. Jam vero spectabimus venustiora: nam pergit Cyclops hoc pacto

vss. 34—38: **At deformitatem superant divitiae: sunt enim mille pecora, est lac egregium, est copia caseorum perennis.**

Atque in vs. quidem 34 pro ὠὖτὸς malim οὗτος [38]), quod tamen interpretatione germanica apta non possum reddere. Nam plus dicit quam ich, sed sensum breviter enarrare nescio. Etenim audimus Polyphemum confidenter ac vehementer improbantem puellae fastidium. Neque ille ignorat praestantiam suam. Quae omnia insunt in voce οὗτος.

Jam observa inconstantiam quandam, non miram in Cyclope desiderio quasi perturbato, cum vocibus sequentibus quodammodo concedat quae Galateam vituperare existimat vere posse vituperari. Quare τοιοῦτος ἐὼν significat: *quamquam talis sum,* i. e., ut bene scholiasta recens interpretatur [39]), ἀσχήμων καὶ δυςειδής.

Jam vs. 34 βοτά [40]), qua voce quodvis pecudum genus appellari potest, hic significat *oves* (vide quae scripsi ad vs. 12), sed gravitate quadam, praesertim cum coniungatur cum verbo βόσκειν.

Neque minus rem exauget χίλια. Ac cur numerus *millenarius* a poëta usurpetur inde patet quod *centenarius* nimis esset exiguus, μυριὰς vero a fide abhorreret.

Jam vero, ut in vs. 12 legimus ἐκ βοτάνας atque in vs. 16 Κύπριος ἐκ μεγάλας, ita hic in vs. 35 habemus ἐκ τούτων, quod velim perpendas. Dicitur enim lac mulgeri ex ovibus quidem ipsis, tamen recte intelleges mulgeri ex uberibus ovium. Negaverim autem hoc ipsum ἐκ τούτων ad ἀμελγόμενος [41]) esse referendum (qua de re vide quaeso notam [39]) extremam) cum hoc participium ad sensum recte percipiendum non sit necessarium, cumque structura versus, quantum ego perspicio, refragetur. Quare vertendum videtur: *quotiescunque mulgeo*, quae interpretatio eo firmatur quod Cyclops Homericus inter mulgendum partem (dimidiam ι 246) bibit extemplo, partem reponit ad cenam.

Jam si τὸ κράτιστον [42]) γάλα suo usui destinare dicitur, hoc ita videtur interpretandum ut vel mediocribus ovibus spretis lacte eum vesci existimemus ovium optimarum neque vesci lacte earum *omni qualicunque* sed nullo nisi *praestantissimo* reliquam partem fetui lactenti et caseis faciendis designantem.

Qua in narratione attende leporem qui inest in voce κράτιστον. Potuit enim dici κάλλιστον [43]), sed esset languidius. At τὸ κράτιστον γάλα bene declarat quam fortis ac validus Cyclopi opus sit cibus, quem Galateae parum convenisse iudicabimus. Quare Polyphemus his deliciis suis captans Nereïdem invitus movet risum.

Jam vero statim (vss. 36. 37) tria enumerantur *anni tempora:* aestas, autumnus, hiems. Ver autem omittitur [44]) quod tum propter lactis abundantiam caseum habere nihil est singulare.

*) Hoc dixi brevitatis causa. Dicendum fuit duo supercilia in unum coniuncta.

Ac notabilis est *inconcinnitas* qua post duo οὔτ᾽ ἐν collocatur οὐ cum genitivo. Sed ne particulis quas nos dicimus correlativis oratio fieret ieiuna structuram incohatam leviter poëta immutavit. Neque porro χειμῶνος ἄκρῳ obstat quominus hieme copiam fuisse casei statuamus, ut quod desideratur ἐν χειμῶνι cogitatione expleri possit. At indicat praeterea χειμῶνος ἄκρῳ ne extremis quidem hiemis diebus*) caseum defuisse. — Verum altero vs. hemistichio Cyclops quasi summam facit simulque tecte ostendit non omnem se copiam consumere, quin semper habere quod edere possit puella.

Jam vero vss. 38—41 Fistulae cantu, inquit Cyclops, excello, celebrans praesertim meum in te amorem. Praeterea donum destinavi tibi undecim hinnuleos ac quattuor ursos catulos.

Atque in versu quidem 38 vide quam arte verbum ἐπίσταμαι in enuntiatione secundaria collocatum totum versum quasi contineat ac constringat. Neque tamen perspicuitas sententiae minuitur eo quod ita voce ἐπίσταται, quam tertiam personam post οὔτις desideramus, poëta supersedet. Nam verbo συρίσδεν in principio versus posito sententia satis illustratur. — Vs. autem 39 minus arte cum antecedenti cohaeret. Supplendum enim est *et sic fistula cano.* — Jam τὶν ι correpto quin sit forma accusativi *genuina*[45]), ut μὶν et νίν, utrumque ι correpto, mihi non est dubium. — Tum voces ἁμᾶ[46]) κἠμαυτὸν[47]) cave aliter explices quam hoc modo: *simul etiam me.* — Age observa γλυκύμαλον ut scholia testantur (neque ego haec mera somnia esse arbitror) ab amatoribus usurpatum esse sensu tralato, ut blandientes puellis amatis loquerentur γλυκύ μου μῆλον alludentes generi pomorum quae vocabantur γλυκύμηλα sive μελίμηλα. Quod blandimentum ita interpretandum est ut μῆλον sit nominis loco, veluti hic Galateae, γλυκὺ vero venustatem puellae significet. — Jam vs. 40 supra commemoravi (ad vs. 15). Hic admoneo νυκτὸς ἀωρὶ idem fere esse atque μεσονύκτιον vel, id quod maluit auctor idyllii XXIV (vs. 90), νυκτὶ μέσᾳ, sed nostrum vim quandam habet poëticam. Favet enim nox media cum somno tum rebus magicis ac scelestis. Quapropter, qui somno neglecto tempus nocturnum alii rei faciendae destinat, quodammodo agit impie. Tum Graeci dicunt ἀωρίᾳ sive ἀωρί[48]), Latini *nocte intempesta*, nostri homines bei mitternächtlicher Weile sive bei nachtschlafender Zeit. — Verum perspicuitatis causa hic additum est νυκτός[49]). — Jam vss. 41 et 42 non est mirum quod Cyclops, utpote qui sit pastor et venator, hinnuleos alit ac catulos ursorum, quodque hinnuleos illos Nereïdi dono se daturum promittit, at quod addit ursos nonne festivissimum est? — Ad vs. autem 41 verbo commemoro πάσας ultima correpta pronuntiandum esse[50]).

Nunc videamus tertiam cantilenae partem. Jam si carmen nostrum recitabis, ante vs. 42 paululum subsiste. Cyclops enim nunc fistula canit redintegratque spem depondituram esse puellam fastidium. Qua spe adductus invitat (vss. 42—53) Galateam ut veniat ac secum vivat. Omnia esse iucundissima, quaeque displiceant, ea posse tolli.

Ac vss. quidem 42—44 Si veneris, inquit, omnium rerum eris particeps. Mitte quaeso fluctus maris, suavius mecum in antro deges.

Vs. autem 42 dicit ποθ᾽ ἁμέ, i. e. ad nos, quo plurali se suosque fratres significat, plane ut voce ὔμμιν (vs. 62) Galateam reliquasque Nereïdes.

Idem vs. ut festivior fiat, vocum οὐδὲν ἔλασσον ascisco interpretationem hanc: *eadem quae egomet ipse etiam tu habebis omnia.* Vult enim Cyclops puellae gratia domare voracitatem suam.

*) Seumius noster recte vertit im spätesten Winter.

Accedit quod Cyclops Theocriteus maris metuit terrores, ut mox videbimus (compara vs. 43 cum vss. 49 et 62). — Jam vs. 43 iocatur acerbe in mare sibi invisum.

Quemadmodum autem voce ἁδὺς utitur Theocritus saepissime de rebus quae animum oblectant, veluti V, 31 ἅδιον ᾀσῇ τᾷδε, i. e. maiorem percipies voluptatem hic canens, ita vs. 44 poëtam dicere existimo: *maiore cum voluptate apud me noctem deges*[51]). — Quam sententiam antecedenti contrariam esse ut apertius poëta indicet, asyndeto utitur. Cyclopi enim mari venustius videtur antrum suum ac coniunctio vitae (παρ' ἐμίν), cum in undis non bene habitare puellam arbitretur (v. vs. 62). — Quare intelleges non obscure hic rogare Cyclopem ut Galatea se ipsi esse velit uxorem. Quamquam alia potest esse huius versus interpretatio. Etenim νὺξ in vs. 77, ut adnotat Vossius, not. marg. ad vs. 77, non *totam noctem* significat sed *tempus vespertinum*, quo quidem tempore puellae inter se ludunt. Quam interpretationem si probaverimus etiam hic, statuendum est nobis Polyphemum, id quod non minus movet risum, ludis proponendis allicere velle Galateam[52]).

Jam vs. 45 Cyclops praedicat *lauros*, quas etiamnunc in Aetna monte scimus esse creberrimas. Nec pastoribus Siculis ob umbram ac suavem odorem ingratas fuisse existimabimus, quin ipse pastorum heros ab iis Δάφνις est appellatus. — Deinde et odore et forma gracili (ῥαδιναί) insignes sunt *cupressi*, quae decora et ornamenta hortorum sunt XVIII, 30. — Propter colorem autem Cyclopi in deliciis est κισσός, quem ob colorem foliorum nigricantem[53]) appellat μέλανα.

Jam vero (vss. 46—48) *gustus* quoque oblectamenta in promptu sunt, veluti *uvae* et *aqua frigida*. Hinc suavissima oritur in his amoenitatibus variatio: umbrosa laurus, formosa ac suaveolens cupressus, hederae*) et vites, quarum dulces praedicantur fructus. Ac cumulum addit rivus refrigerans, cuius aqua calore solis nunquam tepefacta Cyclopi gustu videtur esse meliore quam aqua marina amaritudine foeda. Age vero, num melius ac simplicius potest amoena Sicilia efferri laudibus quam hic elata est a Cyclope?

Jam πολυδένδρεος Αἴτνα nunc arboribus non abundat nisi *in regione media* inter craterem et radices, cum imus mons oppidis, vicis, monasteriis quasi sit consitus. Quamquam haec quoque pars antiquitatis temporibus fortasse fuit silvosa.

Verum vs. 47 ποτὸν[54]) ἀμβρόσιον[55]) eadem fere ratione ut vs. 34 τοιοῦτος ἐὼν et vs. 35 ἀμελγόμενος (v. notae [39]) partem extremam) velim pronunties. Est enim appositio ad τὸ relativum. — Sed quid designat Cyclops his vocibus ὕδωρ et ποτὸν praesertim coniunctis cum verbo προϊέναι? Nonne rivum? Ac rivum quidem sic dici mirum tibi non potest esse in ore pastoris, utpote qui cottidie gregem potum agat. — Age sis contemplare imaginem quovis poëta dignam montis aquam e nive sua per silvas mittentis atque considera quam apposite ad montis formam et antri locum Theocritus dixerit προΐητι! Nam antrum ad mare situm ab ima montis parte leniter declivi satis longe abest. Quare minus placerent καθιέναι vel ἐξιέναι. — Jam his expositis quis miretur quod v. 49 Polyphemus tantopere gaudet suis rebus ut non intellegat cur Galatea praeferat mare, quam tamen ne laedat verbis satis modeste dicit τίς κα cet.

Jam vero vss. 50—54: Si corpus meum, inquit, hirsutius tibi videatur, id non obstat quominus ad me venias, nam potest aduri, et, ne dubites de meo in te amore, passurus sum extrema tua manu mihi illata.

Atque vs. quidem 50 vocibus αὐτὸς ἐγὼν se ipsum per se significat nulla divitiarum aut amoris habita ratione. — Jam vs. 51 δρυὸς ξύλα nolim vertere ut Hartungius Scheite *(ligna)*, sed

*) Quas et arbustivas et antrum vestientes velim tibi fingas.

malim *sarmenta* vel potius *ramalia*, quippe quae aptiora sint ad usum puellae. Quid? Cyclops Homericus nonne ipse fert ὄβριμον ἄχθος ὕλης ἀζαλέης [56])? — Ac si quem offendit vs. 53 post animam commemorari oculum, attendat gradationem qua poëta utitur. Anima enim non potest exuri, potest oculus, qui quidem Cyclopi Homerico exuritur [57]). — Jam cave referas καὶ ante τὰν ψυχὰν positum ad καὶ ante τὸν ἕν' ὀφθαλμὸν collocatum, ne obtrudatur poëtae verborum constructio ieiuna. Etenim καὶ prius intendit asseverationem. — Agedum, nonne misericordiam movet Cyclops vs. 53 non abhorrens ab amissione oculi carissimi, quem Ulyxes Homericus illi exussit?

Exposuit igitur Cyclops quae puellae grata fore sperat. Nunc paululum subsistit cantuque fistulae relaxat animum. Mox tamen incidit ei suspicio vix sese quae oraverit impetraturum. Itaque canere pergit querens quod piscium natura sibi sit denegata. Quam si haberet, dona se puellae laturum esse ait gratissima. At hoc non licet. Quare decernit quam primum discere artem nandi.

Vss. 54—57. Nunc exclamat Cyclops: Eheu, quod sine branchiis me peperit mater. Submergerem enim et oculis atque munusculis eblandirer amorem.

Mavult igitur Polyphemus se esse *piscem* vel, ut Germanice interpretatus est Seumius [58]), Tritonem. Quare facete Theocritus declinavit fabulam Philoxeni, qui Cyclopem induxit ad Galateam mittentem delphinos. — Ac βράγχια quidem germanice sunt Kiemen, quibus pisces aquam hauriunt sicut alia animalia pulmonibus aërem [59]).

Jam in vs. 55 de ὡς cum indicativo imperfecti coniuncto qui dubitat, consulat grammaticas graecas a Fritzschio ad VIII, 86 (ed. mai. et min.) laudatas. Etenim vs. 54 loco est protasis enuntiati condicionalis, ut mutari possit in formam hanc: εἴ μ' ἔτεκεν ἁ μάτηρ βράγχι' ἔχοντα (v. Fritzschii ed. mai. adnot. ad vs. 56 extr.) sc. κατέδυν ποτὶ τίν*). — Verum φιλεῖν hic ut saepius Theocritus usurpavit pro Homerico κυνεῖν. — Ecce autem Cyclops vult manus osculari Galateae! Quid ita? Quia vult exorare dominam ut tandem fastidium mittat. Sed spe abreptus Galateae exorandae continuo sed satis dubitanter addit: αἰ μὴ τὸ στόμα λῇς. Tum enim haud re infecta rediisset. Quare si carmen recitas, submitte vocem in hoc hemistichio quo melius appareat natura parenthesis. Inde explicatur etiam λῇς *indicativus*, qui positus est quasi praecesserit φιλήσω cet. [60]). Ut modo ἔτεκεν ita nunc ἔφερον pendet ex particula finali ὡς. — Ac cum usu poëtico vel populari qui inest in vocibus κρινὰ λευκὰ compara nostrum die rothe Rose, alia id genus. — Jam vero ne hoc quidem loco (confer vss. 40. 41) persuadere mihi possum Theocritum fortuito commemorare *lilia ac papavera*, quamquam de liliis non assequor poëtae consilium**). At de papavere rem explanant scholia. Solebant enim amatores in manu percutere folia papaveris (unde πλαταγώνια [61]) dicta sunt), quae si crepitaverant, amari, sin minus, repudiari se cognoscebant.

Jam qui sequuntur versus 58 et 59, verba si spectas, arte videntur cum antecedentibus cohaerere, si rem attendis, ad proxima referri possunt. Nam ostendunt qua ratione in Polyphemo ortum sit insanum consilium submergendi. Etenim, postquam perspexit per anni tempus non sibi licere aut hoc aut illud ferre (vs. 58), nunc tandem intellegit omnino non posse fieri ut unquam alterutrum ferat (v. 59). Submergere enim nisi summo mortis periculo non potest. Itaque nandi artem (vs. 60), ubi primum nauta advenerit (vs. 61), discere decernit. Quare, quamquam supra vss. 54—59 a vss. 60—62 seiunxi, hic vss. 58—62 complectar ut magis appareat nexus sententiarum. Neque, si cui quam supra indicavi numerorum ratio displiceat (54—62 = 6 + 3), dissuadebo hanc: 54—62

*) Deest particula hypothetica post ὡς ut nonnunquam in apodosi condicionali.

**) Sed hae res parvae sunt neque dignae quibus corrumpas tibi quam percipere potes ex hoc idyllio voluptatem.

= 4 + 5. Ac cum a strophis prope dicam venandis abhorream, unum illud te admoneo ut in carmine recitando post vs. 57 paululum, post vs. 59 aliquantulo diutius subsistas. Nam Cyclopem poëta mihi finxisse videtur ingenio tardo, unde etiam explicantur quas statui intercapedines. Sed iam si placet ad propositum revertamur.

Cyclops igitur vss. 58—62. Sed papavera, inquit, florent aestate, lilia hieme, ut utrumque una ferre non possim. At discam nandi artem ubi nauta advenerit, ut sciam quae sit vobis suavitas in profundo.

Atque de puerili quidem Cyclopis *simplicitate* (vss. 58. 59) diserte agit Fritzschius (ed. mai. ad vs. 59). — Vs. autem 58 et propter vocem γίνετ' ad versum 4 verti et propter *sententiarum nexum* in notae [52]) parte extrema explicavi. — Tum in vs. 59 ἅμα πάντ' coniunctum, quod idem fere est atque ἅπαντ', aut plebeie a Cyclope aut, id quod praetulerim, hyperbolice dictum videtur esse. Commemoravit enim Polyphemus duas tantum res, papavera et lilia. — Porro obelum appone ad vs. 60. Pessime enim traditus est neque in pristinum videtur restitutus esse nitorem [62]). — Ac si νῦν αὖ legitur, τό γα coniungendum est cum νεῖν, quod hic significat et *nare* et *urinari* (v. not. [62])). Tum Cyclops his vocibus νῦν αὖ ad ea quae optavit respicit, quare verto nun aber. Νῦν autem ipsum non de praesenti tempore intellegendum est, sed de futuro, cum statim sequatur μεμαθεῦμαι vel μασεῦμαι [63]). — Tum vs. 61 ὧδε contra epicorum usum hic et saepius in bucolicis sensu locali usurpatum est, ut sit latinum *huc*. — Atque, ut vs. 53 non sine respectu fabulae Homericae poëta commemoravit oculum unum, ita ne hanc quidem *advenae* mentionem nulla Homeri ratione habita fecit, unde mirum quantum carmini nostro redundat gratiarum. Quid, quod Cyclops vs. 62 non abhorret a cogitationibus teneris, quapropter totus versus summam spirat suavitatem litteraeque gutturales, si κ in κατοίκειν excipis, prorsus absunt, nam pro ποχ' codd. praestantiores exhibent ποθ' [64]). Ita fit ut Polyphemus dulcissimis non modo vocibus sed sonis Galateae captet favorem. — Verum de ὔμμιν, i. e., *tibi sororibusque tuis (Nereïdibus)* iam supra admonui ad ἁμέ (vs. 42).

Nunc venimus ad quintam cantilenae partem (vss. 63—71). Ac denuo quidem fistula canens quam temere speraverit ad Galateam se posse accedere *paulatim**) intellegit. At omnia videt ex sententia esse processura si Galatea relicto mari ad se veniat, quare pergit hoc pacto

vss. 63—66: Utinam relinquas mare ac nolis istuc redire. Utinam velis manere apud me ac negotia mea obire.

Age vero, nonne satis urbane invitat Galateam ut secum pastoricia administret negotia? At errat vehementer quod vs. 63 libenter sperat illam esse suscepturam negotia, quae quin invisa sint puellae et propter odores malos et propter curas molestas quis est qui dubitet? — Ac λάθοιο quidem cum infinitivo obiecti (ἀπενθεῖν) coniunctum est [65]). Nam ἐξενθοῖσα, quae enuntiatio est adiectiva vel potius temporalis, sed decurtata, ad subiectum est referendum hoc modo: *ubi exieris, obliviscare reditus!* — Tum vs. 64 νῦν ὧδε καθήμενος membrum efficit et versus et orationis, quapropter verte: *qui nunc hic sedeo.* Scite enim poëta hic Cyclopem finxit pastorem officiorum tandem recordantem simulque lepidum intexuit vocum ludum: nam aliud est domum ire Polyphemum ad stabula ac curam gregis, aliud Nereïdem ad sorores ac ludos. — Attende etiam tectam amoris sinceri mentionem, cui addit vs. 65 quae subeunda sint puellae negotia facilia illa quidem et iucunda pastori, sed Nereïdi operosa et molesta. Neque reticet noster quantopere puellae desideret consuetudinem cottidianam. — Tum σὺν ἐμὶν ἅμα arte cohaeret neque si recitas caesura dissecandum

*) Confer quae summa pagina significavi de tarditate Cyclopis deque intercapedinibus cantilenae.

est[66]). — Ac καὶ — καὶ non sunt frigida correlativa, sed inducunt membrum alterum et tertium polysyndeti, quae figura orationis poëtis est familiarissima.

Jam vero, quamquam his versibus admiranda est copia verborum, tamen quae sponte intelleguntur breviter significantur, veluti vs. 66 πᾶξαι τυρόν. Nam proprie dicendum fuit πηγνύναι γάλα*) ὥστε γενέσθαι τυρόν, quod tolerabile non esset in carmine. Potuit etiam dici πακτὰν πᾶξαι, sed ne id quidem poëtae placuit. Quare praetulit πᾶξαι τυρόν, quod plus est, cum significet et γάλα πηγνύναι et ποιεῖν τυρόν. Fit enim caseus e lacte, unde liquora secernuntur immisso coagulo (τάμισος). — Quod autem dicit τάμισον δριμεῖαν, ambigi potest utrum ob effectus vehementiam an ob saporis acrimoniam an ob odoris vim penetrantem sic appelletur. Sed ut posterius amplexer suadent et quae antecesserunt et quod extat VII, 16 δέρμα νέας ταμίσοιο ποτόσδον.

Jam vero, ne puella Polyphemum quod nondum venerit iratum suspicetur, excusans illam in Thoosam matrem omnem culpam confert[67]). Quare Cyclops

vss. 67—71. Mater mea, inquit, male de me meretur, cum nullo modo me qui tabesco amore adiuvet. Sed miserebit iam illam mei, si ipse mihi vim attulero.

Vs. igitur 67 iniuriam putat Cyclops sibi esse illatam (ἀδικεῖ με) quod mater non conciliaverit nuptias vel, ut ipse vs. sequenti queritur urbanius, quod omnino nunquam ulla pro se fecerit verba. — Jam vs. 68 πήποκα apparet significatu congruere cum attico πώποτε. Ac soni quidem formae πήποχ' non minus quam verba cumulata οὐδὲν πήποχ' ὅλως quasi pingunt indignabundum vocemque augentem, ut mater audiat filiumque commendet puellae. — Quam commendationem se cupere indicat voce φίλον, i. e., quod tibi (Galateae) sit gratum, προςφιλές (VIII, 28 προςφιλὲς ᾆσεν ἔπος). Accusat autem his verbis matrem eo gravius quo facilius expectare potest Thoosam deam marinam, quae semper Galateae utatur consuetudine, praesertim cum et maior natu et ipsa mater sit, si plus adiuvare noluerit, at interdum grata quaedam puellae de filio esse narraturam. — Quin etiam *inhumanitatem* et *crudelitatem* vs. 69 vituperat matris quippe quae filium quem cottidie videat macie confectum nullo modo doloribus liberet. — Dixit autem poëta ἆμαρ ἐπ' ἆμαρ *per totum quemque diem*, quod plus habet nervorum quam quod legimus XVIII, 96 ἐπ' ἆμαρ ἕκαστον[68]). Cui tamen interpretationi locus non est nisi inducis Fritzschii λεπτύνοντα et reponis codicum scripturam λεπτὸν ἐόντα. — Ac significat hic λεπτὸς, quod dictum est a λέπειν, hominem cuius ossa tantum relicta sunt, quasi sit truncus decorticatus ac delibratus. — At ipsum λεπτὸν ἐόντα cave referas ad ἆμαρ ἐπ' ἆμαρ, quod cum participio ὁρεῦσα coniungendum est, quamquam caesura (μετὰ τρίτον τροχαῖον) ab illo disiungitur. Ac recitans quidem si ante caesuras membra orationis dissecantes vocem non submittis, audietur etiam verborum nexus. — Ubi autem recitaveris hunc versum, senties praeterea quanto dolore Cyclops commoveatur. Nam α, littera ut ita dicam lugubris, repetitur septies.

Jam stat Cyclopi sententia (vss. 70. 71) frangere durum matris animum, vult enim saeviendo in semet ipsum excitare illius misericordiam. — Etenim scribendum censeo φλασῶ[70]) τὰν κεφαλὰν καὶ τὼς πόδας· ἀμφοτέρως μεν cet., quod ita explico. Cyclops minitans exclamat ut audiat mater suique misereatur: *Percutiam mihi caput et utramque tibiam: ut mater contremiscat et cura sollicitetur.* Nec tamen hoc facturus est, cum confidat fore ut mater misericordia mota tandem puellae animum sibi conciliet. — Ac vs. quidem 70 non te offendet quod Cyclops vult sibi percutere *caput*[71]), quod

*) Γάλ' ἀμέλγειν ex usu vulgari active (confer not. [41])), quod hic minus loquitur Cyclops de cibo ac potione sibi parandis (quod medio significaretur) quam de grege curando.

vero *pedes* vult verberare iure mirabere. Itaque mecum πόδας intellege de tibiis, quippe qua corporis parte verbera sentiantur acerrime[72]). — Age vero perpende quanta acerbitate Cyclops vocem ἀνιᾶσθαι repetat, quae tamen duplici usurpatur sensu. Nam in Cyclope significat indignationem ac sollicitudinem amoris, in Thoosa miserationem ac pavorem. Sed utrumque voce comprehenditur, ut intellegenda sit de animo tristi et commoto.

Nunc rursus fistula canit et expectat opinor aut Thoosae ac Galateae aut saltem matris solius adventum. Quae cum non appareant, tandem se ipse revocat ad mentem sanam. Nunc igitur demum remedium est efficax, nunc Musae medicatae sunt amanti, eo certe die quo canens fingitur. Verum de hac re supra dixi (p. 2). — Ac vs. quidem 72—79 de insania se obiurgat gregemque curare decernit. Puellam autem vult quaerere aliam. Quare primum

vss. 72—74 Quid voluisti, inquit, vesane? Administra potius negotia tua!

Imago autem quae inest in voce ἐκπεπότασαι (vs. 72) sumpta videtur ab avibus nido relicto vagantibus, quibuscum comparari possunt insani propterea quod mens eorum tanquam circumvolat vel vagatur[73]) — Jam vss. 73 et 74 sententiam ita explanaverim: *prudentior fueris, si gregem ut debes cures.* Sic enim malim reposita omnium fere librorum scriptura αἴκ'[74]), quod tamen melius seorsim scribitur αἴ κ'[75]). — Vs. autem 75 θαλλὸν[76]) ovibus ferri legimus, praeterea vitellis IV, 44, haedis Hom. ρ 224. — Tum in vs. 74 nota in usu τάχα vocis dissimilationem quandam simillimam ei quae linguae palaeogermanicae fuit familiarissima, veluti in Nibelungorum carmine 369, 4. lüzel leides in geschach, i. e. dehein (kein) leit.[77]). — Ac quae intercedat inter vs. 72 et vss. 73 et 74 ratio bene explicat H. Stephanus (Verg. et Nas. imit. 1579. p. 49) hoc modo: *ibi* (vs. 72) *non omnino Polyphemum se fateri stultum, hic* (vss. 73. 74) *multo magis se sapere fortasse, si hoc faciat.* Porro ante asyndeton quod sequitur talem fere existimo suppressam esse sententiam. Jam si occupatus in his rebus non poteris carere puella, age alios quaere amores non denegatos. Ad alium igitur se excitans amorem

vss. 75—79 Quid fastidientem, inquit, sequeris puellam? Aliam reperies, praesertim cum tantopere placeas puellis terrestribus cumque sis aliquo numero in terra.

Atque attende quidem vim ac quasi contumaciam orationis in membra concisae brevissima. Certus enim est et confirmatus Polyphemi animus. — Vs. autem 75 primum quid faciendum sit proponit sibi Cyclops duobus proverbiis pastori perquam aptis[78]). Etenim priore certe pastoricio, ubi supplere potes βοῦν vel ὄιν sive οἶν vel αἶγα, se revocat a fastidienti puella ad amorem permovenda. Posteriore autem se ipse adhortatur ne consumat tempus in puella exoranda, cum alius amoris larga sit facultas. Atque hoc proverbium fortasse non pastoricium est, venatorium putaverim. Nam si θῆρα suppleveris, sensus erit hic: cur persequeris feram fugientem, cum possis expectare sponte venientem vel insidiari praetereunti[79]). Verum haec proverbia quasi fundamentum sunt vss. sequentium, quibus et quid faciendum sit sibi praecipit et quid sperare possit indicat. — Jam quae sequuntur (vss. 75—78) asyndeta: τὶ τὸν .... εὑρήσεις[80]) ... πολλαὶ ..... sunt quae dicunt *explicativa,* quod apparebit ex hac circumlocutione: Cur enim tentas non concessa, nam fortasse pulchriorem reperies Galateam, etenim multae sunt cet. — Ad vs. autem 76 verbo attingo Γαλάτειαν esse instar nominis appellativi. — Jam in vs. 77 κόραι non dubito quin sint νύμφαι (ναΐδες, ὀρεστιάδες, δρυάδες), quemadmodum Cyclops Euripideus habet ministros Silenum et Satyros. — Porro τὰν νύκτα recte interpretari Vossium Abends iam supra admonui (ad vs. 44). Idem scite comparat Hor. Od. I, 4, ubi Venus imminente luna ducit choros, Gratiaeque cum Nymphis iunctae saltant. — Tum vs. 78

κιχλίζειν [81]) derivatum est a *κίχλη* significatque turdorum ritu se gerere, quam comparationem in ore pastoris ac venatoris optimam iudicabis. Atque ut antecedentis versus ita etiam huius leporem rectissime videtur mihi perspexisse Vossius (not. marg. ad vs. 77). Subdole enim ait puellas, postquam invitaverint horridum monstrum, laetari eius saltibus ac rusticitate cachinnosque illarum ei pro applausu esse. — Denique in vs. 79 voce *κἠγὼν* indicat Cyclops sua quidem sententia se non postponi fratribus natu maioribus qui amores captent Nympharum terrestrium. Quapropter malim explicare *ἐν τᾷ γᾷ in terra continenti* [82]).

Atque ita quidem terrestrium puellarum ubi sequi decrevit amores, nanciscitur animi tranquillitatem. Sed amoris tormenta possunt redintegrari (vs. supra p. 2). Tum certe in Musis denuo reperiet remedium. Quare poëta Niciae misere amanti easdem ut colat Musas suadet. Quae breviter complectens

vss. 80 et 81 Sic, inquit, Polyphemus amorem temperabat Musarum, non medicorum utens remediis.

Atque in vs. 80 *ποιμαίνειν τὸν ἔρωτα* recte explicat Vossius not. marg.: Er weidete die Liebe, er hielt sie in Ordnung [83]). — *Ἔρως* autem hic non potest esse nomen proprium, cum per totum idyllium amor comparetur cum morbo. — Jam vero vs. 81 nos, qui discemus hoc decennio nummis pecuniam solvere aureis, maioribus nostris intellegemus melius. Nam aurum hic sonat nummos sive pecuniam sicut nunc Francogallis l'argent, Romanis olim pecunia, aes, argentum. Solvere autem pecuniam Nicias potuit aut medicis aut magis. Utrosque enim amantes adire solebant. — Verum totius versus sententiam duobus hemistichiis optime explanavit Fritzschius. At si lacunam sibi videtur explevisse, dubitaverim num sint qui ei assentiantur. Etenim quae exhibent codices, praesertim si post *ἦ* auctore Boissonadio inseritur *εἰ*, nemo non intelleget in eundem ac Fritzschius modum. — Neque brevitatem epilogi vituperabo, sed admiror leporis subtilitatem et orationis gravitatem.

---

[1]). Nicias ab hypothesium auctoribus (Fritzschii ed. mai. I p. 349) appellatur Milesius (*Μιλήσιος τὸ γένος*), sed hoc mihi videtur e carmine XXVIII et ex epigrammate VII esse coniectum. At discimus ex his tantummodo Niciam Mileti fuisse, ut dubium sit Miletone an aliunde fuerit oriundus. — Atque simulacrum illud (ep. VII) Aesculapio dicatum, ab Eetione eximia arte formatum versibusque inscriptum Theocriti tum fortasse iam celeberrimi, bene potuit commendare Niciam *medicum* cum civibus Milesiis tum peregrinis Mileti commorantibus.

[2]). Confer Gebauerum de poët. buc. imprimis Theocr. carm. ... a Verg. expressis. Lips. 1861 p. 21.

[3]). De picturis post Wuestemannum accuratius egerunt O. Jahn et Wolfg. Helbig (hic symb. phil. Bonn. 361—372, num autem libris suis novissimis hanc quaestionem attigerit nescio).

[4]). De illis vide Fritzschii ed. m. I p. 182, ubi addi potest Oenonas (*γελωτοποιός*, Athen. I, 74, 3 Schwgh)*), de his eundem I p. 342.

[5]). Tamen formae communes sat multae aut omnium aut plurimorum aut nonnullorum codicum auctoritate videntur esse retinendae.

*) Toupium, quem commemorat Wuestem., non potui inspicere.

[6]). Altera quae affertur inscriptio *Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια* duplicem titulum videtur comprehendere, ut prior pars inscriptionem librorum meliorum firmare, posterior inepte a grammatico quodam excogitata esse videatur*).

[7]). Luciani locum affert Heindorfius.

[8]). *Ποττὸν* maluerim sequens Buttmannum (gramm. ampl. II, 297*)), cum propius absit a continua veterum scriptura. Contra Kuehnerus (gr. ampl. ed. alt. p. 144) usum vulgarem praepositionis truncatae segregandae retinet sine dubio perspicuitatis et aequabilitatis causa.

[9]). *Οὔτ' — οὐδ'* quod extat in codd. a. 9 (sive m). L propter singularitatem mihi videtur retinendum esse. Nam accurata particularum quae vocantur correlativarum responsio sermonem reddit opinor nimis ieiunum, quare dubitaverim an *οὔτ' — οὔτ' —* poëtae minus placuerit.

[10]). Minus apta videtur explicatio scholiastae *κουφίζον*, quam probat Fr. (ed. mai.). Nam satis certa effectivi in hac voce sensus reperi nulla**), qui tamen sensus inest in voce *ἐλαφρός* (II, 92), qua Fr. (ed. min.) suam tuetur interpretationem.

[11]). Hic non possum non sequi Wuestemannum explicantem *ἐπ' ἀνθρώποις* in potestate hominum.

[12]). Exempla affert L. Dindorfius in thes. Steph. Par. III, 1040, nec te poenitebit legisse quod brevissime de hoc particulae usu admonet M. Seyffertus ad Xen. mem. p. 3 not. 7.

[13]). Hyperdoricum *πεφιλαμένον* haud scio an sit expungendum in praefatione idyllii (v. supra p. 3). Similem ob causam mallem supra (ad vs. 7) impressum esse *ἁμῖν*, non *ἁμὶν* orthotonumenon quae videtur esse forma Doridis genuina (v. Ahr. d. dial. dor. p. 260, ubi praecipit *ἁμὶν* et *ὑμὶν* in Doricis edendum esse ubicunque de ultima producta non constet).

[14]). Vide Ahrensii dial. Aeol. p. 8. Ac verba in *ζειν* terminata plerumque sensum habent frequentativum, non incohativum, ut hoc loco *γενειάζειν*. Tamen non scripserim hic *γενειάσκων*, quod verbum extat in loco Xenophonteo quem affert Fr. (ed. mai.).

[15]). Si cum Zieglero statuerimus a Theocrito scriptum esse
οὐ μάλοις οὐδὲ ῥόδῳ, facile intelleges qua ratione
et *οὐ μάλοις οὐδὲ ῥόδοις*
et *οὐ μάλοις οὐδ' αὖ ῥόδῳ*
ortum sit. Illic enim singularis *ῥόδῳ*, hic spondeus *οὐδὲ ῥ—* interpolatorem offendit. — Ac coniectura D. Heinsii (1604 p. 353 b) *σελίνοις*, quae quomodo a Palmerio refutata sit nescio, mihi displicet quod ita post poma et flores iterum commemorantur flores, cum voce *κικίννοις* munusculorum genus afferatur novum. Quamquam litterarum ductus utriusque vocabuli haud valde differunt.

[16]). Sic interpretatus videtur esse Winsemius (confer D. Heinsii edit. Commel. 1604. p. 101), qui vertit: Saepe oves ad ovile *sine duce sua sponte redibant* cet. — Ac formam *ἀπῆνθον* praetulisse videtur Theocritus in carminibus bucolicis et mimicis, hic tamen in praefatione secundum codd. 6 D *T* *ἀπῆλθον* esse reponendum existimo.

[17]). *Αὐτεῖ* ex Heinsii coniectura scribitur, sed agrestius videtur in praefatione, neque aliter iudico de vulgata *αὐτῶ*, quare codd. meliorum lectionem *αὐτοῦ* a Fr. receptam esse mallem.

[18]). Confer quae narrat Greverus (Kleine Beiträge) ad VII, 58. Etiam hic propter praefationis elegantiam praetulerim formam *φυκιοέσσης*.

---

*) Nisi forte scribendum est *Κύκλωψ εἰς Γαλάτειαν*.

**) Thucydidis *κούφη ἐλπὶς* a Stephano recte explicatum est *spes inconsiderata*.

[19]). Confer Greverum, quem Kayserus loco apud Fritzschium (ed. mai. I, 350[a] ima pagina) indicato videtur refutavisse, sed non potui hunc locum inspicere.

[20]). *Βέλεμνον* singulari numero etiam Aesch. Ag. 1496. 1520 legitur. Ac formatum est vocabulum ut *ἀμφικέλεμνον* Hesiodi.

[21]). Vide Lobeckii locum a Fr. indicatum. Neque ita multum interest utrum *Γαλάτεια* nomen a voce *γάλα* an a voce *γαλήνη* derives, nam *γαλήνη* videtur cum *γάλα* origine coniunctum esse (Curt. et. gr. ed. III p. 164). Ac Theocritus certe opinor putavit *Γαλάτειαν* dictam esse a *γάλα*.

[22]). Confer Greverum ad vs. 20.

[23]). Si omissum esse *εἰ* tibi durius videatur, sequi poteris Kiesslingium quemque hic affert Beckium signum interrogationis post vs. 21 removentes, ut *λευκοτέρα* cet. non sint nominativi sed vocativi.

[24]). Perspexit H. Steph. (Virg. et Nas. imit. 1579).

[25]). Aliter iudicat Vossius (not. marg. ad vs. 26), qui Galateam Thoosae aequalem putat esse iuventute divina. — Atque alterum huius vs. hemistichium mature corruptum post multorum conamina siquid video sanavit Fritzschius coniectura *ἀφειλωτέρα* (ed. mai.), quam ut strictis grammaticae legibus satisfaceret ed. min. scripsit *σφειλωτέρα*. Neque dubito quin ipsa illa forma *σφειλωτέρα* adiectivi praesertim iam veteribus obscuri doctum hominem cui vitiosa videbatur potuerit movere ut locum interpolaret.

[26]). *Ὄκκα* ob IV, 21, qui locus male est traditus, et ob Nosidis epigramma (vide Fr. ed. mai. ad V, 21) non putaverim efficere trochaeum. Altera enim pars vocis *κὰ* semper producitur cum ubi est Epicorum *κὲ* tum in voce *αἴκα*. Ac prior pars certe est *ὅκα* pro Atticorum *ὅτε*.

[27]). Equidem caesuram dico brevitatis causa ea vi qua comprehendat *caesuram* pedem medium dissecantem et *diaeresin* pedem a pede discernentem. Caesuras autem versibus iudico necessarias ut qui eos aut canunt aut legunt habeant ubi spiritum possint ducere. Quapropter nisi sententia permittit ut paululum subsistam caesuram non statuo. Ac persuasissimum mihi est bonos omnium temporum poëtas operam dedisse ut canentes vel legentes non modo haberent ubi spiritum reciprocarent, verum non possent subsistere nisi ubi venustas versus exaugeretur. Neque tamen velim respires quacunque in sede versus caesurae locus est. Ac qua ratione elisiones in caesuris tractandae sint vide in nota [44]). Confer notam [39]). — Jam videbis me stare a Fritzschio (vide ex. gr. ed. mai. VIII, 5), qui in caesuris statuendis rationem mihi videtur habere cum numerorum venustatis tum vocum nexus. Atque caesuram quidem quam vocant bucolicam Theocrito certe familiarissimam neque a reliquis poëtis veluti ab Homero alienam*) sed ut equidem existimo apud Theocritum aliquanto rariorem quam vulgo putatur in hoc idyllio non possum reperire nisi decies sexies clausulaeque sunt hae:

vs. 2	*οὔτ' ἐπίπαστον,*		vs. 38	*ὧδε Κυκλώπων,*	cum hiatu.
vs. 9	*τὼς κροτάφως τε.*		vs. 46	*ἁ γλυκύκαρπος,*	
vs. 10	*οὐδὲ κικίννοις,*		vs. 51	*ἀκάματον πῦρ·*	cum hiatu.
vs. 14	*φυκιοέσσας*		vs. 54	*βράγχι' ἔχοντα,*	
vs. 25	*ἁνίκα πρᾶτον*	cum hiatu.	vs. 56	*ἢ κρίνα λευκά*	cum hiatu.
vs. 28	*οὐδέ τι πω νῦν*		vs. 61	*ὧδ' ἀφίκηται,*	
vs. 29	*οὐ μὰ Δί', οὐδέν.*	cum hiatu.	vs. 64	*οἴκαδ' ἀπενθεῖν·*	
vs. 36	*οὔτ' ἐν ὀπώρα,*	cum hiatu.	vs. 65	*καὶ γάλ' ἀμέλγειν*	

*) De Sol. et Theogn. vide Rennerum (progr. Friburg. 1872 p. 31).

Quamquam dubitare poteris an praeterea statuenda sit in versibus his: 1. 4. 8. 12. 21. 24. 27. 40. 41. 42. 58. (60 ex Fr. scriptura) 62. 63. 69. 70. 72. 79., quod negaverim de vss. 16 et 55.

[28]. Haud scio an communis forma ἡγεμόνευον hic a Theocrito scripta sit, quam servaverunt cod. D. L. Q. *P.* Etenim totus locus inde a vs. 19 usque ad vs. 30 Dorismos exhibet mitiores, ut Polyphemum audiamus sermone suaviore et teneriore Galateae gratiam captantem. Ac nonnulla plane colore dicta sunt Homerico, veluti hemistichia posteriora vss. 22, 23, vs. 24 totus, vs. 27, cuius alterum hemistichium Homerum prorsus exprimit.

[29]. Tria temporis spatia enumerari vidit H. Steph. (Vg. et N. imit).

[30]. Τί πη coniunctum praeter locum Iliadis a Fr. comparatum habes Hes. op. 105 οὔ τί πη ἔστι Διὸς νόον ἐξαλέασθαι (ubi Vollbehrius coniungit οὔτι). Vide thes. Steph. sub voce πή.

[31]. Ut hic ita post reliquas partes maiores poëta utitur asyndeto (vss. 54. 63. 72*)), quamquam in his extat vss. 44. 45. 49. 60. 75. 76. 77. 79.

[32]. Simili modo Hom. A, 110. 111 τοῦδ᾽ ἕνεκα — οὕνεκα.

[33]. Ahrensius, quem sequitur in ed. min. Fritzschius, scribit ὀφρῦς obtemperans puto praeceptis veterum (vide thes. Steph., ubi affert L. Dindorfius Arcadium et Herodianum). Ac nescio an hic habeamus productionem quam nunc dicunt glottici *suppletoriam*, cum vicinum videatur Macedonum ἀβροῦτες (Hesych. ὀφρῦς), cuius τ in reliquis dialectis mollitum in σ mox evanuit (Curtius etym. ed. III, 277). Sed haec sunt dubia, nec illud exploratum est quae sit vocis significatio prior utrum *supercilium* an *tumulus*.

[34]. Etenim origo vocis λάσιος obscura est. Nam etsi cum λάχνη esse coniungenda videtur, tamen nemo quod sciam adhuc demonstravit qua ratione e radice λαχ fieri potuerit cum λάσιος α correpto tum λαισ-ά(δ)-ς (ἡ παχεῖα ἔξωμίς Hesych.), quod comparavit Curt. ed. III 339. Quamquam, si ab ipsa radice λαχ formam sine ν suffixo, quod in omnibus huius familiae vocibus apparet (λάχ-νη, λάχ-νο-ς, λαχ-νο-ῦσθαι, λῆ-νο-ς, la-na), formam *λαχ-jo-ς profectam esse sumas, ex hac forma ficta fieri potuit *λαδ-jo-ς, unde λάσ-ιο-ς α correpto. At refragatur λαισ-ιά-ς. Nec minus dubium est quod excogitavit Fickius (v. Curt. l. all.). — Quare tutius est vocabuli apud Theocritum haud rari observare usum. Atque usurpatur quidem de capro VII, 15 ἐκ λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο κνακὸν δέρμ᾽ ὤμοισι, ubi schol. rec. vocem explicat τετριχωμένον, cui astipulatur sch. Moschopuli ad Il. A 189 interpretantis τρίχας ἔχον. At hae merae sunt coniecturae neque ad locum satis aptae. An poëta in eodem versu caprum dicat et τετριχωμένον et δασύτριχα, behaart et dicht behaart? Nam climax qua illud excusari potest ab hoc loco est aliena. Deinde extat XII, 4 dictum de ove quae λασιωτέρη sit agno, ubi sch. rec. in periphrasi dicit δασυτέρα. Tum XX, 42 de ape, ubi gloss. in M. exhibet δασείαις, in r vero et in Juntinae margine (J m) absurde φρονίμοις, cui addit r σύνεταις καὶ Ὅμηρος λάσιον κῆρ. Porro de quercu XXVI, 3 et Ep. V, 5 et in universum de silva XXV, 134, ubi gloss. M. rursus explicat δασέος δρυμοῦ. Denique XXV, 257 de capite bestiae cuiusdam. Et in id. nostri vs. 50 Polyphemus de se ipse dicit αἰ δοκέω λασιώτερος ἦμεν. — Facile igitur colliges his locis omnibus significari *defluere aliquid inaequaliter nulloque ordine quasi fasciculis horrere.* Quare de capro erit zottig, quod dici potest etiam de capro villos habente raros, quare optime VII, 15 additur δασύθριξ, de ove wollig, itemque de ape, propter lanuginem qua corpus totum est tectum, de quercu buschig, propter fasciculos qui formantur foliis, de silva struppig, propter aspectum quem praebet horridum, neque aliter de capite bestiae, ubi conferas velim hymn. Mercur. (III, 224 ed. Baumeister) οὔτε τι κένταυρον λασιαύχενα ἔλπομαι εἶναι.

[35]. Voce τείνειν cum Theocritus hoc uno loco utatur (id. enim XXI, ubi extat 48 et 51, inter spuria numeratur), alius huius imaginis circumspiciendus est interpres. Atque metaphora haec optime explicatur usu Homerico, in quo imprimis velim conferas locum similem Γ 372 ὀχεὺς τέτατο ὑπ᾽ ἀνθερεῶνος. Sed proprie dicitur νευραὶ τείνονται, τόξον τείνεται, unde fluxit Homeri τέταθ᾽ ἱστία (λ, 11) et τείνειν λαίλαπα (Π, 365), et ἐπὶ νὺξ ... τέταται ... βροτοῖσιν (λ, 19).

[36]. Vide Helbigium in symbola phil. Bonn. (p. 362, imprimis 365).

[37]. Eandem ob causam dubito num quis artificum veterum finxerit nasum latum hic descriptum, sed videant quaeso huius rei periti utrum recte iudicem necne.

*) Neque versum 42 excludo, cum ἀλλὰ in principio orationis possit collocari.

[38]). Nam ωὗτὸς idem fere esset atque sequens τοιοῦτος ἐών.

[39]). De hoc versu in tria membra dirempto recte mihi videtur Fr. ed. mai. ad VIII, 5 disputare contra Lehrsium. Quem quidem qui sequitur hac in re vim afferet innumerabilibus poëtarum et Graecorum et Romanorum et nostratium versibus. Tu lege G. Hermanni diss. de arte buc. p. 4 et Meinekii ed. III p. 431 sq. et supplementi p. 496. Atque in hoc quidem idyllio decem versus mihi videor detexisse in eundem modum conformatos praeter nostrum hos: 5. 7. 15. 18. 30. 31. 67. 73. 81. Ac similis est vs. 61, nisi quod caesuram exhibet bucolicam. Potest praeterea dubitari de vs. 76, quem haud perperam recitabis hoc modo: εὑρησεῖς Γαλάτειαν· | ἴσως καὶ καλλίον᾽ ἄλλαν dummodo illud videas ut suo pondere proferantur voces εὑρησεῖς et καλλίον᾽, quod neutra ratione impeditur. — Neque temere omisi vs. 20 λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἀρνός, ubi ἑφθημιμερὴς gravior, πενθημιμερὴς levior videtur esse caesura. Quapropter subsistes paululum post πακτᾶς, post ποτιδεῖν duces spiritum. Ac si hunc versum audias recitari ab artifice, melius perspicias quid velim observesque remissiore voce dici ποτιδεῖν, quod quasi ornamentum versui insertum est gratissimum illud quidem, sed non necessarium. Neque aliter mox (vs. 35) pronuntiandum est ἀμελγόμενος. Nostrum autem τοιοῦτος ἐὼν modestia quadam proferendum est.

[40]). Gregem ovium magnum mille habere pecudes dicit Vossius (not. marg.) fortasse nixus loco XVI, 91 αἱ δ᾽ ἀνάριθμοι μήλων χιλιάδες cet., qui tamen locus id non evincit. Etenim et hic et illic finitus numerus est pro infinito, pars nota pro re tota aut incognita aut non indicata, ad quem usum quemvis aptum esse numerum maiorem et per se credibile est et patet ex lusu quem habemus XVII, 82, ubi poëta triginta tria milia trecentas triginta tres urbes magno significat verborum ambitu.

[41]). Activum ἀμέλγειν undecies (bis in hoc idyllio) in Theocriteis extat, medium unice hic, sed aptissime. Mulget enim Cyclops *sibi ipse*. Qui medii usus reliquis undecim locis partim non necessarius est, partim ne aptus quidem, quod intelleges ubi singula perpenderis. Confer adn. ad vs. 66. — Verum tripliciter hunc versum 35 explicari posse admonuit H. Steph. (Virg. et Nas. imit. p. 34, quem librum nunc non possum consulere).

[42]). Vox κράτιστος casu fortasse hoc uno apud Theocritum loco legitur, nam κρατεῖν (superiorem esse) saepius in Theocriti reliquiis extat neque deest κρα-τερό-ς, sensu sed non forma positivus, qui loco movit genuinum κρατὺς servatum in formula certe pervetusta κρατὺς Ἀργειφόντης. Sed in nominibus propriis positivi obsoleti vestigia manserunt: Κρατέας i. e. *ΚρατεϜας, Κρατεᾶς, nomen Macedonis cuiusdam (Arr. Ind. XVIII, 6), Κρατεύας, titulus comoediae Alexidis, Κράτεια (pro *ΚρατεϜια), oppidum Bithyniae.

[43]). Ita explicatur in schol. recentiorum paraphrasi.

[44]). Recte adnotavit Wuestemannus vernum tempus non nominari quod vere pauper etiam lactis abundantiam habeat. Confer praeterea Hom. B 471 ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. — Jam illud admoneo post hemistichium τυρὸς δ᾽ οὐ λείπει μ᾽ extare elisionem in caesura. Ut hic in caesura penthemimeri habes praeterea in vs. 23 φοιτῇς εὐθὺς ἰοῖσ᾽ et in vs. 54 ὤμοι ὅτ᾽ οὐκ ἔτεκέν μ᾽ et in duobus Iliadis versibus, quos affert Fr. ed. mai. XIV, 64. Tum in caesura hephthemimeri

vs. 7 Οὕτω γοῦν ῥάϊστα διάγ᾽ — vs. 37 οὐ χειμῶνος ἄκρω· ταρσοὶ δ᾽

vs. 27 ἐξ ὄρεος δρέψασθαι· ἐγὼ δ᾽ — vs. 81 μουσίσδων, ῥᾶον δὲ διάγ᾽

Denique in trithemimeri vs. 38 συρίσδεν δ᾽. — Eiusmodi elisiones neque Latini poëtae omnino vitant et Francogallici saepissime admittunt, quamquam neutri scribendo elisionem exprimunt. Confer Corneille, le Cid, Act. I, sc. IV: Et vois comme il se trouble || au nom de son vainqueur, ubi pronuntiatur trou⁀blau. Vide sis libellum Alberti Hamanni de pronuntiatione Francogallica (Potsd. 1854. p. II, in quarto, p. 6 a). Usus autem sum signo musicorum quo melius indicarem qua ratione pronuntiandum esset sequens Hamanni exemplum.

[45]). Τὶν vs. 29 ut plerumque est dativus stirpis τε (pro τϜε), qua de re vide Schleicheri compendium 491 sqq. et Curt. etym. ed. III. 206, τϜε autem orta est ex vetustiore tva. Hinc tu-bhi-am Homero fit τεΐν, iambum exhibens, Doriensibus τὶν producto ι. Sed potest τὶν etiam esse accusativus correpto ι, si concedis ex Indogermanico tva-m fieri potuisse τίν, ut ex *ἰμ-ιμ duplicato fluxisse credibile est cum μ-ὶν tum ν-ὶν, utrumque ι correpto.

[46]). Malim sine ι subscripto, cum veteres de hac re dubitaverint (Schol. Pind. III, 36 ζητεῖται ... εἰ προςθήσεται τὸ ι) et comparari possit Sanscritum samâ (Curt. et. ed. III p. 300). Ἁμᾶ autem molliore accentu elatum (vide Boppii librum de accentu) Doriensium est, ἅμα producto α, unde mox ἅμα correpto α factum est ultima accentu non firmata, videtur exhibere accentum antiquissimum.

[47]). Tutius in Theocrito non statues καὶ particulae copulativae traiectionem, quam νεώτεροι demum Alexandrinorum admittebant. Vide qui hoc praecipit Hauptium (observ. crit. p. 64).

[48]). Ἀωρὶ adverbium correpto ι formatum ab adiectivo ἄωρος, ut ἀμισθὶ ultima correpta ab ἄμισθος. Quibus in vocibus lingua graeca aberravit a norma, nam stirpes in o, veluti ἀμαχο —, in universum nihil admiserunt nisi —ει, ut ἀμαχεί, (ex οἰκο-ι factum est οἴκοι, v. Curt. et. ed. III p. 595). Hinc profectum est ι productum. Erroris autem causa videtur fuisse similitudo adverbiorum ἦρι et πρωΐ.

[49]). Simili modo Aristoph. eccl. 741 addit νύκτωρ (ita R et Suidas, Mein. νυκτῶν in textu reliquit) et sine additamento extat ἀωρὶ e. gr. in fragm. Heracl. comici apud Athen. XII, 532 E.

[50]). Nisi forte hic secundum usum Syracusanorum (Ahr. dial. Dor. p. 181) productionem esse praeferendam statuis. — Porro μηνοφόρος conformatum est ut κερασφόρος, πτεροφόρος, quibus simile est quod Fr. ed. min. comparat σαμφόρας. — Ac cur poëta hic posuerit numerum undenarium et quaternarium assequi non possumus. Quamquam certam ob causam eum sic dixisse mihi quidem persuasi.

[51]). At sensu quasi activo usurpatur VII, 89 ἁδὺ μελισδόμενος maiorem praebens delectationem canendo.

[52]). Male hinc collegit Vossius (quem Zimmermannus affert non improbans) Cyclopem auctumno tempestate adversa sub vesperum invitare puellam in antrum iucundum laurisque ac cupressis a vento tectum. At mihi verisimilius est Cyclopem a poëta induci canentem tempore *verno*, non quia omittitur vs. 36 ver, ut Cyclops canens id omisisse videatur, sed quod vere Cupido maxime est infensus, quodque vss. 58 et 59 Cyclops puellae promittit papavera et lilia, quorum illa aestate florent, haec hieme carpuntur. Tum usque ad papaverum tempus, aliquantum, ad liliorum multo plus intercedit spatii. Sed quid velim liceat indicare circumlocutione germanica: Aber der Mohn wächst leider erst im Sommer, die Lilie gar erst im Winter, weshalb ich sie nicht einmal beide zusammen bringen könnte.

[53]). Μέλας principio significavisse putatur *pullum* et *sordidum* (v. Curt. ed. III, 345), unde factum videtur esse ut etiam de colore violae, vini, sanguinis usurparetur. Qua in re dubito an audiendus sit Geigerus qui hunc usum explicat ex vitio sensuum antiquissimarum gentium communi (vide eius librum de origine et progressione orationis ac rationis humanae).

[54]). Cum ποτὸν confer βοτά (vs. 34). Fungitur enim adiectivum verbale in genere neutro vice substantivi, ut praeterea haec: ξυστόν, παλτόν, ῥυτόν, φυτόν.

[55]). Voce ἀμβρόσιον H. Steph. (Virg. et Nas. imit. prolegomena IIII b) ridicule abuti Theocritum ait, quod hic non ambrosiae sed nectaris mentio facienda sit. Age, iam concedo μετάληψιν ac comparo ποιμαίνειν ἔρωτα vs. 80, quo sensu βουκολεῖν usitatius fuit. Quid? Cyclops tam stultus est ut non possit discernere νέκταρ et ἀμβρόσιον? Nonne in Homero legimus ἀμβροσίας χαίτας et ὕδωρ ἀμβρόσιον? Nonne unusquisque Graecorum in voce ἀμβρόσιος sensit vocem βροτός, ut sic quoque hic usus excusetur?

[56]). Fritzschius scribit cum Zieglero (ed. II) ὑπὸ σποδῷ, contra graviores testes k. m. p. qui exhibent ὑπὸ σποδῶ. Atque in eadem sede versus cumque eadem correptione ultimae ante vocalem sequentem legitur iam apud Hom. (ι 375) ὑπὸ σποδοῦ ἤλασε πολλῆς. De genitivo autem confer eiusdem (Θ 14) ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον. Quare unum probo σποδῶ, cum sit singularius et propter totius loci imitationem verisimilius.

[57]). Bene meruit de hoc loco illustrando Wuestemannus, quem sequor.

[58]). Qui locum versu male condito sed interpretatione insigni, quam ascivit Vossius (not. marg.), ita vertit: Warum ward ich nicht ein Triton mit Flossen zu schwimmen.

[59]). Proparoxytonon est quod Graeci hanc vocem ex βαράγχιον quadrisyllabo ortam esse sentiebant. Ac similem ob causam proparoxytona videntur esse haec: βοίδιον (pro βοΐδιον), γήδιον, κώδιον, λήδιον et praeterea ἄθλιον (pro ἀέθλιον), ποίμνιον (pro ποιμένιον), quae congessit Papius (lex. etym. p. 70 f. 2).

[60]). Perspexit hoc Meinekius (vide ed. III p. 481).

[61]). *Πλαταγώνια* ductum a *πλαταγὼν* formam exhibet deminutivam, cuius in re amatoria multus usus est. Sed folia papaveris sic simpliciter dici minus crediderim quam per metonymiam, qua id quod efficitur foliis ponitur pro foliis ipsis. Quod si probaveris, habebis figuram quam dicunt effectum pro causa, quasi quis germanice dicat Mohn mit rothen Klatschen ac non Mohn mit rothen Klatschblättern.

[62]). Hic imprimis quaerendum est quid a versu possit abesse, quid non possit. Lectionibus autem codicum perlustratis in universum apparet Cyclopem velle dicere: Cum non sim piscis (Triton), ubi nauta advenerit discam qua ratione ad te perveniam.

Ac primum quidem non possumus carere voce *νεῖν*, super quam varia lectio *πλεῖν* scripta est in codice s satis recenti. — At navigando tantum ad Galateam nunquam potest pervenire. Contra necessaria est ars nandi et urinandi, quam, cum Cyclopes fratres omnes sint pastores ac venatores, nisi ab advena quodam discere non potest. Advenire autem praeter nautas nemo potest, quapropter *πλέων ξένος σὺν ναῒ* (v. infra) rectissime videtur se habere. Quamquam non accurate dicitur *νεῖν* pro nando et urinando. Sed eiusmodi synecdocha poëtae Cyclopem praesertim inducenti est condonanda. Ac verum sensum intellexit scholiasta recens qui explicat *πλέειν* (quod non est navigare, sed *corpus tanquam navigium super aquam tenere et gubernare*) *καὶ κολυμβᾶν*, sic supplens interpretationem scholii veteris minus accuratam *νεῖν ἤτοι κολυμβᾶν*. — Deinde extirpari non potest *νῦν*, cum somniis antecedentibus nunc opponantur spes haud vanae. Neque corruptum videtur alterum *νῦν* ‚asseverandi propositi causa' (Fr. ed. mai.) repetitum. — Eandem ob causam aegre carebis particula *μὰν* et vocativo *ὦ κόριον*. — Necessaria denique est notio *discendi*, quae si abesset, expectatio advenae alicuius (vs. 61) otiosa foret. — Ita fit ut optio non relicta sit nisi de vocibus *αὖ τόγα* (ut habet *κ*, vide Ziegleri ed. II). At cum dubitem num *αὐτόγα*, quod Ribbeckius ‚nunc ipsum' interpretatur, Graecum sit, rationem Ahrensii qui *αὖ τό γα* recepit cum sit lenissima malim praeferre. Tum vero alterum *γε* ferri non potest, sed prius *γα* si minus placeat in *γε* mutari licet. — Verum Ahrensiine *μασεῦμαι* producto *α* an Meinekii *μεμαθεῦμαι* scribas potest esse dubium. Atque illud quidem formatum est ad similitudinem futuri *λασεῦμαι* unde *λασεύμεθα* IV, 39 legitur.

[63]). Confer Hom. *E* 278 sqq.: *Ἦ μάλα σ' οὐ βέλος ὠκὺ δαμάσσατο, πικρὸς ὀϊστός. Νῦν αὖτ' ἐγχείῃ πειρήσομαι, αἴ κε τύχωμι.* — Ac de verbo *μαθεῖν* quod hic cum articulo *τὸ* et infinitivo coniungitur confer locum Sophocleum (Ai. 554 sq.) a Kruegero I, 56, 7, 9 allatum: *ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος, ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.* — Neque *ξένος* dubitationem potest movere, cum recte opponatur voci *αὐθιγενής*. Quamquam secundum civitatum Graecarum conformationes peculiares saepius hae voces opponuntur: *ἔνδημος, πολίτης, ἀστός.*

[64]). Solus codex 16 habet *ποχ'*, ut non dubitem scribere *ποθ'*, qua voce sensus non mutatur, nitor autem versus exaugetur.

[65]). Sic *μεμνῆσθαι* cum infinitivo coniunctum in illo Epicharmi *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν* cet.

[66]). Dixi hoc propter Kiesslingium male ante *ἅμα* virgula incidentem. An pastores uno tempore et pascunt et mulgent? Neque offendere debet copia quae inest in vocibus *σὺν ἐμὶν ἅμα*, quippe quae rei cuius maxime interest addat pondus. Ex Cyclopis enim sententia Galateae permagni oportet interesse ut semper una sit cum amatore quo facilius puella sororum usu assueta ingratam ferat solitudinem.

[67]). Ita locum nostrum intellexit Wuestemannus.

[68]). Si interpretarere *in dies magis*, refragaretur *λεπτὸν ἐόντα*, pro quo substituendum esset verbum incohativum, quod detexisse neque Reiskio *λεπτυνέοντα* neque Meinekio *λεπτύνοντα* scribenti concesserim. Nam illud omni fide destitutum est neque cum *βαρυνοῦντα* (II, 3), quod futurum est praesentis *βαρύνειν*, potest comparari, hoc non est verisimile cum *λεπτύνειν* semper sensu transitivo usurpetur. At *ἆμαρ ἐπ' ἆμαρ* vocibus recte explicatis totus versus offensione vacat, quod perspexit Wuestemannus. — Jam vero in vs. sequenti veram censeo *φλασῶ* scripturam codd. k. D, quibus astipulatur varia lectio in Q. Neque porro aut assentior Fritzschio qui Cyclopem fingit saeviturum in matrem aut probo *φασῶ*, quae interpolatio videtur esse, quae irrepsit in codd. reliquos. Nam si Polyphemus vult vim afferre *sibi*, id credibile est, si hac re *minitatur* matri et puellae, non negabimus eas ad misericordiam potuisse permoveri, at si ipse sibi *suadet* ut verba det illis (*φασῶ*), nimis

puerititer*) agit, si minatur matri se vim allaturum (φλασσῶ . . . νιν), nimis nefarie loquitur. Quid! pastor adulescentulus num usquam toto carmine meditatur facinus nefarium?

70). Pro forma φλασῶ, etsi me offendit α productum cum respondeat atticum θλάσω α correpto, contra libros nolim scribere aut φλασσῶ (Fritzschius) aut φλαξῶ (Bergkius). Neque enim mihi videtur absurdum si quis putet extare hic proprietatem dialecti vel Doridis recentis vel Siculae vel Syracusanae vel Theocriteae.

71). Capitis verberatio commemoratur a poëta recenti apud Suidam φλᾶν τὴν ἑαυτοῦ δυςμενεστάτην κάραν.

72). Arist. Plut. 784. Νύττουσι γὰρ καὶ φλῶσι τἀντικνήμια. Verum erit fortasse quem ut melius quid excogitet impellant hae coniecturae: σφύσδοισ'**) ὡς ἀνιαθῇ, σφύσδῃ χὡς ἀνιαθῇ.

73). *Quo tua mens avolavit* vertit Steph. (Virg. et Nas. im. p. 49), ubi idem pluribus de accurata huius versus versione agit variaque vertendi pericula ingeniose instituit.

74). Optativus cum αἴ κε hoc uno Theocriti loco legitur neque tamen hanc structuram soloecam esse indicavit iam Naegelsbachius II. exc. VIII ed. II p. 21, ubi rationem huius usus explicare studuit. Mea autem sententia optativus cum particula hypothetica coniunctus, postquam paulatim quasi novus factus est modus (ut Francogallorum condicionalis), tum raro ille quidem in libris, saepius vero fortasse ab hominibus plebeiis in sermonibus usurpatus videtur esse in protasi enuntiationum hypotheticarum. — Atque ut ipsum αἴ κ' reponam me movet etiam illud quod minus mihi hic placet Cyclops *optans* ut labores subeat quam *sibi enumerans* quae facere possit ut prudentius agat.

75). Fritzschius ed. mai. ad V, 21.

76). Confer Luc. Herm. c. 68 θαλλῷ προδειχθέντι ἀκολουθεῖν ὥσπερ τὰ πρόβατα. — Atque ἀμᾶν de fronde arborum etiam apud Hesiodum extat (scut. Herc. 289 πέτηλα). Qui usus explicandus videtur ex significatu proprio, quem latiorem prius fuisse (colligere) existimo imprimis quod Hom. ι 347 dicit ἀμησάμενος γάλα ἐν ταλάροις.

77). Scite adnotat Vossius (not. marg.): Das gemilderte τάχα „vielleicht", „wohl", ist dem Sinne nach „in Wahrheit"; aber jene Ironie verbirgt Bitterkeit. Confer praeterea Epicharmi fr. 94 οὐχ ἐμὶν τάχα in re minime incerta, ubi Attici dicerent ἥκιστα vel οὐδαμῶς.

78). Apud Sophronem, qui sermonem imitabatur cottidianum, nonnunquam proverbia continuabantur tria (vide Demetrium de elocut. 156). Quapropter non necesse est sequamur Fritzschium, cuius interpretatione haec duo proverbia tanquam coalescunt.

79). Erasmus in adagiis vss. 10 et 58 tractavit, hunc videtur neglexisse, cfr. Jac. praef. p. LXII.

80). Pro εὑρήσεις codicum ut aequabilitatis invehendae causa scribas εὑρησεῖς circumflexum equidem non suadebo, cum de dialecto Theocritea eiusque variandae causis ne nunc quidem ubique omnia sint explorata.

81). Alia eiusmodi denominativa si quaeres, consule Wackernagelii programma de vocibus variis animantium.

82). Sic interpretatur Kiesslingius.

83). At si addit wie ein Hirt seine Heerde durch Musik lenkt, falsus est. Nam non modo μουσίσδων cum ἐποίμαινεν coniungit, cum sit epexegesis ad οὕτω, sed statuit facultatem pastorum gregis *musica regendi* quam prorsus ignoro.

---

*) Confer Fritzschium scite de hac re disputantem ed. mai. I, p. 369 b.

**) Σφύζειν et σφυγμὸς medicorum sunt vocabula de arteriis palpitantibus aliisque corporis partibus inflammatione correptis. Ac de animo usurpavit Greg. de baptism. p. 201 Steph. ἀναστῶμεν ἐπὶ τὸ βάπτισμα· σφύζει μοι τὸ πνεῦμα, quocum confer locos a Suida allatos ἐπὶ ταῦτα δὲ αὐτοῖς σφύζουσι καὶ ἀνεστηκόσι συνάπτουσι μάχην (ubi Suidas explicat ἐπείγουσι) et (ex Piside) σφύζεις Ἀχιλλεῦ καὶ μεθύσκῃ τὰς φρένας (ubi vertit Steph. ardes desiderio). Itemque de animo commoto usurpatum est a Longin. (Walz. rhet. IX, p. 573) σφύζοντος καὶ σφαδάζοντος καὶ πηδῶντος τῆς φαντασίας μέρους.

Jauraviae a. MDCCCLXXIV.

Th. Borsdorf
Thuringus.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung des Gymnasiums.

Die Lehrverfassung ist auch im abgelaufenen Schuljahre im Wesentlichen dieselbe geblieben wie in den früheren und genügt es, in dieser Hinsicht auf das Programm von 1872 zu verweisen. Ebensowenig ist hinsichtlich der im Gebrauch befindlichen Schulbücher eine Aenderung eingetreten:

